



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. III. De Dedicacione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



autem in Festo S. Joannis, & SS. Innocentium Commemoratio de Octava S. Stephani contra communem Legem admittatur, cum Festum S. Joannis sit minoris solemnitatis, utpote secundæ Classis, hoc ad Festa primæ Classis extendendum non esse.

VIII. Cùm Festum Rosarij, teste Gavanto s. 7. c. 12. n. 1. debeat ubique celebrari, ubi adest Altare seu Capella Rosarij, sub Duplicis majoris ritu, in prima Dominica Octobris, quæ scilicet occurrit in Kalendis, vel post Kalendas, ex decreto Gregorij XIII. die 1. April. 1573. Officium de eo, ut in Festo Nivis, recitandum est, exceptis Lectionibus secundi Nocturni, quæ ex secundo Nocturno de Nativitate B. V. mutato verbo *Natali* in *Solemnitate*, sumendæ sunt. Quòd si hoc die, Octava dies Titularis aut Dedicationis Ecclesiæ occurreret, Gavantus putat de Rosario dicendum Officium cum Commemoratione Octavæ, sicut in simili casu Sacra Congregatio de B. V. Visitatione permisit Officium dici in Octava S. Prosperi, qui Regij Patronus est, licet alioqui vi Rubricarum transferri deberet illud Festum. Secus sentiendum ait, si ipsa Dedicationis aut Festum Titularis in hac Dominica occurreret, tum enim à S. Congregatione 6. Febr. 1638. decretum esse dicit, ut nihil fiat de Rosario, neque etiam transferatur, cum non conveniat illud à Dominica transferri.

### §. III.

#### *De Dedicatione.*

I. **D**edicationis Ecclesiæ est Festum, in quo memoria primæ Dillius consecrationis solemniter celebratur. Unde & à S. Leone *Natalis* Ecclesiæ nominatur, estque juxta S. Thomam lect. 5. in cap. 10. Joann. dignius Festo Titularis & Patroni, eò quòd in illo recolantur beneficia totius Ecclesiæ collata, quæ superant beneficia uni tantum vel alteri Sancto exhibita.

II. Dividitur in Dedicationem *propria* vel *aliena* Ecclesiæ; inter quas hæc diversitas est, quòd Dedicationis propriæ Ecclesiæ semper sub ritu Duplicis primæ Classis, & cum Octava celebranda sit; non item alienæ, quæ sub ritu communis



nis Duplicis tantum celebratur, nisi sit Cathedralis Ecclesia, tunc enim in Diœcesi etiam sub ritu primæ Classis celebranda erit, sed sine Octava, ut teste Gavanto f. 8. c. 5. n. 5. Congregatio 2. Maij 1619. decrevit. Unde si occurrant hæ Dedicationses, Dedicatio propriæ Ecclesiæ celebrari, & Dedicatio alienæ, etiam Cathedralis transferri debet juxta Romanam decis. 616. n. 1. Regulares tamen non obligantur (nisi fortè ex decentia) ad Cathedralis Ecclesiæ Dedicacionem celebrandam.

III. Si concurrant vel occurrant plurium Dedicacionum Festa, vel Octavæ earundem, pro varietate Orationum sumi poterit ea, quæ ipsi diei Dedicacionis seu Consecrationis convenit, uti juxta Gavantum in postrema Breviarum recognitione additum fuit.

#### §. IV.

##### *De Feriis.*

I. **F**eria est dies quædam certa cujusque hebdomadæ; cum enim Fideles horrerent dies hebdomadæ à Gentilibus Dijs nominare, nomen Feriæ substituerunt, & ipsam quidem Dominicam, primam Feriam, & sic reliquas secundam, tertiam &c. nominârunt, solo Sabbati nomine retento, quòd nihil Gentile sonabat. Vocârunt autem Ferias, ut innuerent, Clericos utpote in sortem DEI vocatos, ab alijs laboribus & operibus vacare, totòsque Ecclesiasticis Officijs, & DEI obsequio tradere se debere.

II. Dividuntur in Majores & Minores, quarum differentia est, quòd de Majoribus quocunque Festo occurrente (quam ob causam & Majores dicuntur) non item de Minoribus commemoratio fieri debeat, quod ideo ab Ecclesiâ constitutum existimo, ut majorem nobis Adventus, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum reverentiam & pietatem generaret.

#### §. V.

##### *De Vigiliis.*

I. **V**igiliæ à vigilando dictæ sunt, eò quòd olim Christiani ante Festa Sanctorum vigilare, & Orationibus